

Et electiones aut alia provisiones per Simoniam facta non valent.

XV. Idipsum clarissimis terminis expressit Martinus V. sess. 43. Concilii Constantiensis: "Electiones autem, postulationes, confirmationes, & quævis provisiones Simoniacæ Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, personarum, Officiorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque deinceps factæ, nulla sint ipso jure nullumque per illas jus cuiquam acquiratur.

XVI. Et Pius V. in Constitutione quæ incipit: *Ut Simoniacæ*, quæ Constitutiones Antecessorum suorum contra Simoniacos editas, & præsertim Pauli II. (quæ est dicta Extravagans inviolabiliter observari mandat, inter alia declarans: "Qui dignitates Ecclesiasticas Simoniacè acquiriverit, illis sit ipso jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticum Simoniacè adeptus fuerit, illis similiter ipso jure sit privatus.

Ex his aliisque tum Pontificum, tum Synodorum Decretis evidens est, provisiones Beneficiorum Simoniacè factas esse ipso jure irritas.

XVII. Illud quoque ex citatis textibus manifestum est, sufficere ad eam nullitatem, quod provisiones sint Simoniacæ; uti rectè notat Garcias de Beneficiis parte 1. cap. 1. ubi non solum refutat eos, qui hanc nullitatem dumtaxat inductam volebant, quando intervenit Simonia realis, sive quando realiter munera data fuerunt; non autem quando sola Simonia conventionalis intercessit; id est, quando quidem de muneribus dandis conventum est; sed nondum conventi satisfactum fuit per realem munerationem.

XVIII. Et sanè cum ipsa conventionalis Simonia sit æquè vera & formalis Simonia, quàm realis; contra verba & mentem Pontificum & Synodorum torquent eorum Constitutiones, qui eas ad Simoniam realem restringere audent.

Adhæc quid interest, si mediante parata pecunia, vel promissa & addicta pecunia ascendat? Nonne utrobique mediante pecunia ad Beneficium aditum sibi pandit?

XIX. Unde jam pridem Urbanus II. apud Gratianum *Caus. 1. q. 3. Can. 5.* hac subtilitate nondum adinventâ, datam & promissam pecuniam confundit dicens: "Ea, quæ à SS. Patribus de Simoniacis constituta sunt, nos quoque & iudicio Sancti Spiritus, & Apostolica auctoritate firmamus. Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus.

Hic evidenter supponitur, solam promissam pecuniam adeoque conventionem de danda pecunia sufficere, ut irritum sit, quidquid per hanc promissionem obtentum fuerit.

XX. Dicitur quidem in citata Extravagante Pauli II. §. *Statutes*: *Qui quomodolibet dando vel recipiendo Simoniam admiserint*: è quibus Navarrus alique nonnulli concluderunt, dationem & receptionem requiri, ut nullitas ipsius provisionis inducatur.

Verum in hoc §. non de nullitate provisionis agitur, sed de excommunicatione Simoniacorum.

Deinde uti bene reflectit Garcias loco citato *num. 44.* "illa verba referuntur solum ad spirituale, nempe Ordines vel Beneficia, de quibus in præcedentibus actum erat. Eorumque planus sensus est, quod qui quomolibet Simoniam commiserint dando vel recipientes, id est Ordines, vel Beneficia, sententiam excommunicationis incurrant.

Interim hic videmus, quod & in multis aliis materiis contigit, quàm levi, ne dicam futili fundamento, non-

nullis recentiores Theologi in laxiora proni, & hoc ex eo impetu sequuti nonnulli Canonistæ, à tenore Canonum recesserint, & rigore Canonice disciplina, prætextu mansuetudinis inverterint.

XXI. Porro præcipuus Ecclesiæ scopus in decernenda nullitate collationis alteriusque provisionis Beneficii per Simoniam obtentæ est, ut omnino ab Ecclesiasticis ministeriis arcerentur, qui non per *Obitum*, id est Christum, in ovile ovium intrasse, sed aliunde ascendisse sciuntur.

XXII. Cum verò constet, nec illos per *Obitum* intrare, qui Parentum aut amicorum muneribus intervenientibus ascendunt; nec tamquam Aaron à Christo vocantur, sed parentum cupiditate intruduntur, etiam tales à Sacris Ordinibus deponendos esse Sancti Canonibus testantur, quemadmodum Metensi Episcopo scribit Urbanus II. apud Gratianum *Caus. 1. q. 5. Can. 3.*

XXIII. Unde cum quidam Clementi III. insinuasset, quod pater ejus, interveniente pecunia, olim sibi præbendam Beneficium acquisivisset, ipse verò ad annos discretionis perveniens, accepisset Dominicæ Crucis signum, & dictam præbendam in manu Præpositi & Fratrum liberè resignasset. Sed hi Resignanti compatiens, de novo eum in suum Canonicum elegerunt, ita videlicet quod per electionem istam postremum locum in choro & in aliis obtineret. Requirivit super his à Pontifice, "utrum juxta priorem receptionem suam, locum recuperare debeat, vel valeat? Respondit Pontifex: Ut indulgentia quam Fratres tui tibi fecisse noscuntur, contentus existas, ratione primæ receptionis, nihil audeas in ipsa Ecclesia vindicare." *Cap. 26. De Simonia.*

Hic à patre commissam fuisse Simoniam filio ignota notat Glossa, quia aliàs Capitulum etiam consentiente Episcopo ad eandem Ecclesiam reeligere non potuisset, ut hic cum Glossa communiter monent Doctores.

Uterius observat Glossa, quod postquam cognovit Simoniam fuisse commissam à patre, debuerit ipse dimittere: ideoque supponit evidenter ipsa Glossa, primam electionem, ratione Simoniacæ paternæ, fuisse nullam; quod & hic notat Cardinalis Hostiensis, probatque hanc pœnam nullitatis esse iustam.

XXIV. Itaque electio aliæve provisio Beneficialis ipso jure nulla est, nullumque jus tribuit Provisio, si quocumque modo Simoniacæ fuerit; tamen etiam ipso Provisio omnino ignorante intervenit: quod clarioribus terminis exprimitur in *Cap. 27. De Simonia.*

Cum enim à quodam Capitulo "quatuor essent conditiones, qui debebant quemdam eligere in Plebanum; amici ejus, de cujus electione spes habebatur, uni, vel omnibus eligentium promiserunt se pecuniam solutionis, eo tamen ignorante, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum electus.

Super hac electione consultus Cælestinus III. respondit: "Nisi constaret, illos qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiosè egisse; quamvis ipse promissionis conscientiam non sit, ejus tamen electio tamquam Simoniacæ pravitæ præsumpta, est penitus reprobanda.

XXV. Ex hac Decretali uno consensu concludunt Canonistæ, quod electio facta per Simoniam penitus sit nulla, etiam si ignorante Electo intervenit: nisi malitiosè seu in fraudem, non ad promovendam electionem, sed potius ad eam corrumpendam sive vitandam, quæ futura prævidebatur, commissa fuerit: eò quod hoc casu ipsa Simonia propriè ipsam electionem non infecerit: cum supponatur, quod etiam ea non interveniente electio facta fuisset.

XXVI. Hic quoque notant Canonistæ, quod licet Simonia sit commissa ignorante provisio, nihilominus teneatur dimittere beneficium, tamquam nulliter & sine

sine canonico titulo acquisitum: cui consonant quæ de Malgino Nivernenti Episcopo in actis diei tertie Concilii Remensis anno 1049. præsertim Leone IX. leguntur, "Nivernensis Episcopus surrexit (iniquit acta) pro Episcopo plurimum pecuniæ confessus est à parentibus datum fuisse, se tamen ignorante... ideoque si Domino Papæ & præfati Conventui dignum videretur, idem officium velle dimittere potius, quàm in ejus retentione animam suam pessumdare. Quæ ubi dixit, pastorale pedum ante pedes ipsius Apostolici posuit. Ille verò tanti viri flexus devotione, favente Synodo, eundem, quod absque suo consensu eadem pecunia data fuerit, Sacramento comprobare facit: sicque illi per aliud pedum ministerium Episcopale reddidit.

XXVII. Narrat B. Petrus Damiani in vita S. Romualdi c. 35. quomodo hic vit sanctus "seculares Clericos, qui per pecuniam ordinati fuerant, durissima servitute corripere, et eos, nisi ordinem sponte desererent, omnino damnabiles & hereticos alliceret.

XXVIII. Deinde narrat, quomodo per sacros Canones multos de Simonia convicerit: qui & crimen agnoscebant & errata deplangebant. Post hæc subjungit: "Nonnulli quoque Episcopi, qui per Simoniacam hæreticam sedes invaserant, ad eum cauta pœnitentiæ concurrebant. Qui etiam venerabili viro se committentes, & Episcopatum termino statuto desererent, & ad sanctæ conversationis se promittebant ordinem festinare.

XXIX. Hic elucet, nullatenus dubitasse S. Romualdum, quin juxta sacros Canones Simoniaci suas Sedes dimittere deberent: sed hoc merito notandum quod adjiecit: "Ex quibus (Episcopis) tamen vit sanctus quamdiu vixit, nescio, si vel unum convertere potuit. Est enim venenata illa hæresis, præsertim in Episcopali ordine, tam dura, & ad convertendum rigida, ut semper promittens, semper de die in diem producens, atque in futurum procrastinans, facilius possit Judæus ad fidem converti, quam hæreticus latro plenè ad pœnitentiam provocari.

Et sanè tot vinculis retinentur alligati, qui interveniente Simonia ad Dignitates Ecclesiasticas sunt promoti, ut miraculi instar merito reputetur vinculorum illorum contractio. Qui enim ad Dignitates Ecclesiasticas Simoniacè ascendunt, considerare solent mundanum splendorem, & divitias seculi eis annexas; quas cum amant, difficultat illis renuntiant: nec enim sine difficultate admittetur, quod cum amore possidentur.

XXX. Quoad hanc nullitatem, & necessitatem dimissionis, non est differentia inter notoriam & occultam Simoniam, sed utraque reddit provisionem nullam & obligat Provisum ad dimittendum: uti monet Rebuffus in praxi titulo *De Simonia* in resignatione n. 12.

XXXI. Addit tamen n. 3. "Licet fiat differentia quoad depositionem ab officio, quia occultus non deponitur, sed notorius sic, *Cap. 13. De Simonia.* Tamen enim occultus Simoniacus caret revera tituli Canonico ob nullitatem à jure inductam, non potest tamen per Superiorem deponi quamdiu Simonia manet occulta.

Sed si publica labore infamia, poterit ipsi, adhibitis Compurgatoribus purgatio Canonica indici; & si in hac deficiat, Beneficio privati poterit, quemadmodum in citato Capitulo scribit Pontifex.

XXXII. Insuper inter occultum & notorium Simoniacum ea est differentia, uti etiam notat Rebuffus ibidem, quod absolutio & rehabilitatio facilius sit in occulto, quam in notorio, uti capite sequenti ostenditur: ubi una notabitur, quod dispensatio in Simonia occulta pro solo foro conscientiarum detur in pœnitentiaria; in Simonia notoria per Datariam.

XXXIII. Beneficia Simoniacè obtenta, cum vacant ipso jure, possunt impetrari, etiam absque alia declaratione. *Van Espen Jur. Eccl. P. II.*

tionem, quæ fieri poterit post impetrationem, per *Cap. Cum secundum de Hæreticis in 6.* ait Rebuffus n. 11.

Porro hæc declaratio non requiritur, ut Simoniacus privetur beneficio; sed ut declaratur privatus: quæ declaratio per judicem fieri debet, ut ipse Simoniacus à beneficio, quod de facto possidet, realiter deponatur, sive expellatur, & alius in ejusdem possessionem inducatur.

XXXIV. Sed à quo judice hæc declaratio faciendâ? Indubiè à judice Ecclesiastico; præsertim, dum contra Clericum simili crimine infectum agitur. Hoc enim crimen eatenus Ecclesiasticum esse, nec ipsi Galli dissententur.

XXXV. Edicto Blesensi art. 12. injungitur Archiepiscopis & Episcopis, ut procedant sollicitè, rigorosè, & sine dissimulatione aut exceptione, contra personas Ecclesiasticas hoc crimine infectas. Verba Edicti sunt: *Lesdits Archevêques & Evêques procederont soigneusement & severement & sans dissimulation ni exception de personne, contre les personnes Ecclesiastiques, qui auront commis le crime de simonie, par les peines indites & portees par les saints Decrets & Constitutions Canoniques.* Id est. Dicit Archiepiscopi & Episcopi diligenter severe absque dissimulatione aut exceptione personarum, pœnis irrogatis & statutis per decreta & Canonicas constitutiones animadvertent in Ecclesiasticos, qui Simoniacæ crimen commiserint.

In Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem tit. 9. art. 8. habetur: "De crimine Simoniacæ, cognoscat & puniet uterque judex secundum qualitatem suæ jurisdictionis.

XXXVI. Rursus cum præterito seculo quidam articuli fuissent Romæ exhibitæ, sique remissi essent ad Franciscum I. Galliarum Regem; atque per hunc anno 1347. communicati Procuratori Generali, & Advocato Fiscali Parlamenti Parisiensis, ut ad singulos responderent, ad articulum 7. qui erat de crimine Simoniacæ, responsum fuit, numquam visum fuisse, quod judices laici in patria Regia de hoc crimine cognoverint; quia est crimen merè Ecclesiasticum: nihilominus, quando proponitur per modum exceptionis, tunc hi cognoscant, non ut jus dicant super crimine Simoniacæ, sed ut judicent principale coram ipsis pendens, conformiter ad jus commune. Verba responsi sunt: *Quant au 7. qui parle de la cognoissance du crime de simonie, l'on n'a point veu que les juges laïcs es pays du Roy en aient connes, car c'est un crime pur Ecclesiastique: toutefois quand il est proposé par form d'exception lesdits juges en cognoissent, non pour prononcer sur le crime de simonie, mais pour juger ce qui est principalement pendans par devers eux, conformement à droit commun.* Id est. Quoad septimum ubi agitur de discussione criminis Simoniacæ, inusitatum est à Judice laico in ditionibus Regis causam illam discutere cum sit crimen merè Ecclesiasticum, nihilominus cum in forma exceptionis proponitur, desuper etià dicti judices instruantur, non ut sententiam de crimine Simoniacæ pronuntient; sed ut judicent id quod principaliter coram ipsis controvertitur conformiter ad jus commune.

XXXVII. Carolus Fevretius de Abusu lib. 8. c. 2. n. 5. relato hoc responso, monet, judicia quæ super hoc crimine proferuntur in tribunali Ecclesiastico, esse omnino disparata à judiciis, quæ super eodem crimine proferuntur incidenter in tribunali laico.

Judex enim Ecclesiasticus cognoscens de hoc crimine contra Ecclesiasticum accusatum, declarat, convictum Beneficiis suis privatum; atque directè contra ejus personam pronuntiat, ut in proprium suæ jurisdictionis. At Judex laicus, qui non cognovit de Simonia, nisi ratione possessorii, tantum pronuntiat super possessorio, cujus ad ipsum cognitio & decisio pertinet, repellens à possessorio, qui de Simonia convincitur; quin & injungendo Judici Ecclesiastico (si Simonia fuerit notoria)

toria) ut procedat extraordinarie, seu ex officio contra Ecclesiasticum illo crimine infectum.

XXXVIII. Ex his haud difficile intelligitur, quod Rebuffus, verbis supra citatis subjungit: "Sed in hoc Rebuffus, gno raro fit declaratio: nam his casibus, quibus est ipso jure privato; post habitam collationem à Papa, seu Ordinario, impetrantur litteræ factiæ & novitatis factiæ, per possessorio.

Agit enim Rebuffus de declaratione faciendâ per Judicem Ecclesiasticum dicitur super crimine Simonia pronuntiantem: quæ declaratio raro contingit; quia ordinariè malunt Devolutarii agere in possessorio coram Judice Regio; quo unâ incidenter de Simonia cognoscitur, & per indirectum, saltem quoad validitatem impetrationis Beneficii tamquam per Simoniam vacantis, judicatur.

XXXIX. Unde legitur in Actis Cleri Gallicani tomo 2. tit. 17. a. 16. quod Devolutarius obtentâ in Curia Romanâ provisione alicujus Prioratus ob Simoniam per possessorem commissam, fuerit admittus ad probandum Simoniam per se, cum primum incepisset per probationes in scriptis; idque instante Advocato generali, qui asseruit, Curiam ita semper judicasse, etiam in Simonia confidenciali, quæ regulariter non verificatur, nisi per scripta. In judicatum in Parlamento Parisiensi 19. Martii 1629. Ex quo evidens est, Judices Regios etiam cognoscere, & probationes recipere super crimine Simonia, quemadmodum recipiunt super titulo Beneficii, ut de possessorio pronuntiare queant.

XL. Cum Simonia provisionem Beneficii Simoniacè obtentam irritet, ipsumque titulum annullat, ita ut provisio nihil juris in illo acquiratur, sequitur, quod nec fructus Beneficii eo titulo acquirere, aut suos facere potuerit.

Unde Martinus V. in Concilio Constantiensi postquam dixit, quod omnes Dignitatum & Beneficiorum provisiones Simoniacæ nullæ sint ipso jure, nullumque per illas jus cuiquam acquiratur, immediatè subjungit: "Nec promoti, confirmati aut provisii faciant fructus suos, sed ad illorum restitutionem, tamquam iaiquè ablata percipientes, teneantur.

Eadem expressit Paulus II. in Extravagante 2. de Simonia inter communes, declarans, quod ad eam restitutionem sub anima sua periculo sit ascriptus.

XLI. Et quidem quia hæc obligatio restitutionis profuit ex ipsa nullitate tituli, rectè concludunt Canonistæ, nullam esse differentiam, saltem quoad forum conscientia, sive Simonia sit occulta, sive notoria; sed æqualiter Simoniacum teneri ad restitutionem. Quæ restitutionis obligatio facit hoc peccatum numerari inter peccata scandalosa; eoque titulo difficilius remissionis.

CAPUT VII.

De Dispensatione cum Simoniacis.

1. Aliud est dispensari in Simonia, quam dispensari in penis Simonia.
2. Quinam doceant, Simoniam circa beneficia à Pontifice purgari posse.
3. An Simonia circa beneficia sit juris humani?
4. Nonnulli asseruerunt, Pontificem sine Simonia posse vendere beneficia.
5. Quin & aliqui dixerunt in Curia Romana Presente Pontifice non committi Simoniam.
6. Primum argumentum probans, venditionem beneficiorum esse Simoniam jure divino.
7. Secundum argumentum ex Concilio Constantiensi.

8. Tertium desumptum ex Canonibus.

9. Quartum ex ipsi sexibus Juris Canonici remissivis.

10. Resolvitur fundamentum eorum qui volunt esse juris humani.

11. Venditionem beneficiorum etiam simplicium esse juris divini docent communiter Theologi.

12. Concluditur, Pontificem non posse proprie super Simonia dispensare.

13. Potest dispensare in penis Simonia.

14. Nescitur an primis undecim seculis cum Simoniacis quoad penam depositionis unquam dispensatum sit.

15. Nicolaus II. seculo XI. decrevit, nullam misericordiam Simoniacis exhibendam.

16. Intuitu necessitatis tolerat Ordinato non Simoniacè à Simoniacis.

17. Vult eam relaxationem cessante necessitate etiam cessare.

18. Reflexiones super hoc Decreto.

19. Urbanus II. sub fine seculi XI. Canones contra Simoniacos renovat.

20. Aliqua ab hoc Pontifice cum Simoniacè ordinatio facta dispensatio.

21. Quam moderata fuerit.

22. Declarat hanc relaxationem ex necessitate factam non esse irabendam in consequentiam.

23. Hac moderata dispensatio relaxationis portam aperuit.

24. Abusus dispensationis cum Simoniacis tempore Concilii Tridentini erat excessivus.

25. Ostenditur non nisi ex gravi causa dispensandum cum Simoniacis ut in beneficio Simoniacè obtento remaneat.

26. Qui eam dispensationem pro se ipso petit, vel hac petitione se indignum dispensatione ostendit.

27. Ab his dispensationibus esse abstinendum monuit Concilium Delectorum Prælatorum.

28. Ostenditur posse occurrere casum iusta dispensatione.

29. Hac dispensatio in Curia R. interdum in Dataria, interdum in Penitentiaria expeditur.

30. Dum petitur in Dataria, debent exprimi fructus recepti super iis cum Dataria componatur.

31. Quo fundamento fructus male percepti dicantur spectare ad Cameram Apostolicam?

32. Hac compositio super fructibus male perceptis non admittitur in Gallia.

33. In verificatione litterarum Legationis Apostolicae clausula hinc praxi Gallicana conformis apponitur.

34. Quid Penitentiaria circa restitutionem fructuum male perceptorum ordinare soleat?

35. Dispensatio solet concedi in forma commissoria.

36. Debet Simoniacè provisus ante dispensationem beneficium dimittere: & quare?

37. Confessarius cui dispensatio committitur debet monere Provisum ut complices inducat ad petendam dispensationem: & que origo hujus praxeos.

38. Pro causa dispensationis solet exprimi scandalum aliis causandum.

39. Ostenditur hanc causam sepe non subsistere.

40. Dispensationes cum Simoniacis in Curia R. non facile concedi, testatur Pyrrus Contradus.

Pro intellectu eorum quæ dispensationem super Simoniam concernunt, notandum, aliud esse dispensare cum Simoniacis super ipso vitio Simonia, ita ut per dispensationem vitium Simonia aliis incurrendum, vi ipsius dispensationis præcaveretur, aut saltem purgaretur: quod fieret, ut provisio Beneficii quæ aliis foret Simoniacæ, virtute dispensationis à Simonia purgaretur, aut præservaretur: aliud verò esse, dispensare cum Simoniacis

Tit. XXX. De Simonia circa Beneficia. Cap. VII. 757

niacis quoad penam dumtaxat à jure decretas. Hæc enim dispensatione non purgatur Simonia; neque provisio Simoniacæ à vitio illo eximitur, vel quæ aliis foret Simoniacæ reddiur Canonica; sed tantum ex causa remittitur pena per Canones inflicta.

II. Pontificem posse priore etiam modo in Simonia circa beneficia ex causa dispensare, sequitur ex sententia illorum, qui volunt vendere aut emere beneficia Ecclesiastica tantum esse Simoniam juris humani; atque Pontificem ex causa beneficia vendentem non committere Simoniam. Si enim venditio hæc dumtaxat sit juris humani; & Pontifex sine Simonia vendere queat; quidni ex urgenti aliqua causa in jure illo humano dispensare, & alteri auctoritate vendendi dare potest?

III. Christianus Lupus in Dissertatione 2. provinciali tomo tertio Scholiorum in Canones præfixâ cap. 4. movens hanc quætionem: "An Ecclesiasticorum beneficiorum, ac præsertim simplicium officiorum nundinatio damnetur solo humano jure, an etiam naturali ac divino?" Respondet: "Doctores Scholastici passim Divini ac humani juris Simoniam distinguunt, omniaque ista volunt damnari solo humano jure, idè quæ ex causa posse per Romanum Pontificem vendi. Criminis istius suspitione graviter olim laboravit Bonifacius nonus, idè quæ Palatini Clerici ipsum purgaturi, apud Theodoricum à Niem ex ista Theologia dixerunt, Pontificem hæc in re non posse esse Simoniacum, sed ipsi ex causis similia licere.

IV. Fuisse jam pridem Doctores, qui assererent, Pontificem sine Simonia posse vendere beneficia, testatur Concilium Delectorum Prælatorum sub Paulo III. cuius supra tit. 28. c. 1. mentio facta est.

Hi enim Prælati à Paulo III. delecti & moniti, ut sincerè exponerent abusum in futura Tridentina Synodo reformandos, imprimis exponunt Paulo III. quod "nonnulli Pontifices ejus prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coarctaverunt sibi magistro ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quod facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet.

Deinde subjungunt: "Inde effectum est, præterquam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus: difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures Principum, quod confestim prodirent Doctores, qui docerent Pontificem esse Dominum beneficiorum omnium: ac idè cum Dominus jure vendat id quod suum est, necessitatio sequi, in Pontificem non posse cadere Simoniam.

V. Quia & nonnulli ulterius hinc concludere haud dubitarunt, Simoniam in venditione Beneficiorum non committi, quando hæc sit in Curia vidente & probante Pontifice, uti testatur Fagnanus ad Cap. CUM PRIDEM & De Pælis num. 63.

VI. Verum, uti rectè reflexit Christianus Lupus loco citato, quisquis Beneficiorum nundinationem solo politico jure damnari credit, etiam asserere debet, ante Ecclesie Canones nullam istic fuisse Simoniam: quod (ait) sanè horrendum est atque profanum.

VII. Idem auctor postquam retulit, quod nonnulli Clerici Palatini, ut Bonifacium IX. à Simonia suspitione liberarent, dixerint, Pontificem hæc in re non posse esse Simoniacum, immediatè subjicit: "Aliud sensit ejus (Bonifacii IX.) Anti-Papa Clemans septimus, cujus ad urbem Legati Bonifacio multa improperanti, repulerunt: Saltem Dominus noster non est Simoniacus. Eamque veritatem secuta est Constantiensis Synodus, damnans ac degradans Joannem vigesimum tertium, Quod Ecclesias Cathedralis, Monasteria, Prioratus, & conventuales & cetera beneficia Ecclesiastica propterea appretiato notorie distribuisset. Etiam quod Ec-

clesia vendidisset officia. Lucet ea variis articulis facti, in ipsum processus. Et ad novi Pontificis electionem processura laudata Synodus, eligendum adstrinxit ad reformandam Ecclesiam in capite & membris, ipsamque etiam Romanam Curiam in variis articulis, quorum fuit quartus decimus: de exstirpatione Simonia. Et hæc Decreta respicit in opusculo de Simonia Joannes Gerson: Talis Simonia novissimè per sacrum Constantiense Concilium judiciali severitate damnata est in capite. Utiq; Joanne vigesimo tertio. Eam damnari dicit à jure Divino, idè quæ nec in Domino Papa ex ulla causa posse purgari. Jus percipiendi temporalia, licet temporale videatur, esse omninò spirituale causa, sâ finis ac radicis, idè quæ Ecclesiasticum beneficium non magis posse vendi quam officium, cui intrinsecè adnexum est, atque ita ejusdem nature. Eam, quæ aham divini, aham Simoniam adstruit esse solius humani juris, doctrinam affirmat esse commentum Jurisconsultorum, Dei legem ignorantium.

VIII. Hæc ille, qui & ibidem bene notat, quod Pontifices & Synodi Simoniacas Beneficiorum nundinationes Simonia arguentes, solis verbis Scripturæ utantur; atque ex hoc Domini verbo, Gratis accepistis, gratis date, ipso divini juris fonte definiant, Beneficia vendi non posse. Et quod B. Petrus Damiani Godefredi Ducis Capellanos, non ut humani solummodo sed et ut Divini juris evertores tractaverit.

IX. Eandem sententiam, nimirum nundinationem Beneficiorum, etiam simplicium esse juris divini & naturalis latè & solide astruit Fagnanus ad dictum Cap. CUM PRIDEM; ostenditque, actus Juris, qui venditionem beneficiorum, tametsi simplicium reprobant ut Simoniacam, non in jure humano, sed Divino fundari.

Post hæc concludit, Pontificem quoque Simoniam committere in venditione Beneficiorum, neque ipsum posse hanc Simoniam purgare. Quin adductis rationibus, quibus nonnulli voluerunt, Pontificem ab hac Simonia eximere, dicere non veretur n. 71. "Hæ sunt rationes, quæ potissimum afferuntur pro dicta opinione, si tamen opinio, & non error dicenda sit.

X. Has rationes seu potius argutias ibidem refellit Fagnanus, ac nominatim eam quæ unica pene est, cui jam pridem hæc Adulatorum opinio innixa fuit; quod scilicet Papa vendendo beneficia, non recipiat pecuniam pro beneficiis, sed pro fructibus, cum possit separatè præbendam à Canonica.

Respondit Fagnan. n. 90. cum Cardin. de Turcremata: "Si verum esset, Papam non conferre nisi fructus; tunc nullus, cui Papa conferret beneficiū, haberet titulum Beneficii, nec dicendus esset talis Ecclesie Episcopus, Decanus, aut Canonicus, nec deberet ea exercere, quæ sunt illius officii. Præterea litteræ Papales super talibus provisionibus confectæ, patentissimè declarant contrarium, dum provisio jubent institui. Instituire autem est jus Canonicum in Ecclesia seu Ecclesie beneficio conferre, ut in cap. EX FREQUENTIBUS, de instr. Cardin. in Clem. 1. in 6. qu. insolut. n. 11. de supplen. neglig. Prælat. Ergo fateri oportet, non solum vendi fructus beneficiorum qui sunt accessorii ad titulum, sed etiam illud quod est merè spirituale, & principale, scilicet titulum seu potestatem exercendi hujusmodi ministerium, propter quod iidem fructus sunt deputati.

XI. Tandem n. 114. rectè monet, concludendum esse venditionem beneficiorum Ecclesiasticorum sive habeant annexam potestatem Clavium & executionem Ordinis, sive Officium Clericatus, esse prohibitam quia Simoniacæ; non autem Simoniacam quia prohibita; & consequenter nec Summo Pontifici licitam; cum emptionis materia sit res spiritualis, quæ jure naturali & Divino venalitate omninò excludit.

Eadem est sententia S. Thomæ 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7. quem